

Bibliothèque numérique

medic@

**Duvrac, Louis - candidat / La Vigne de
Frecheville, Claude de - président. -
An Variolas inoculare nefas ?**

1723.

Paris

Cote : ms 2326 n°30



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax05x0030](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax05x0030)

30.

QUÆSTIO MEDICA,
 QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis
 30 Decembris 1723.

M. CLAUDIO DELA VIGNEDE FRECHEVILLE
 DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

An Variolas inoculare nefas ?

I.

ERGONE grassabitur, & truculenter sæviet variolarum populabunda lues, funeribus undique cumulabit finera, nulli parceret, ridebit quælibet arma, quos non jugulat deformitate turpes, orbos organis, languentes & caufarios relinquet! Nullusne tandem dabitur modus quo morbi hujus ferocientis incendia ab hominum genere arceantur? Jam Asiaticis familiaris est nova quædam hujus luis destruendæ methodus, in Orientalibus plagis experta pluries, nuper in Anglia, vel ab ipsis tentata Principibus; cur adhuc nostratibus ignota sine honore jacet? Illam aveant, quorum domus penè tota variolis extincta est; naturale votum est, timori & dolori permitendum. Eamdem proponat Empiricus, vir otiosus, certam sedem, fixumque domicilium quæritans, nihil mirum. Medicorum studiis, scriptisque promulgeatur, suffragiis comprobata asseratur, saniores legentium animos statim occupant mendacii & fallaciæ suspicio, dubium & indignatio. Medicinæ est morbos ab ægris tollere, & eorumdem vehementes impetus obtundere. Quot mala ab injeftis intempestivè in corpore sano remediis? Ab omni medellâ caver Medicus, quandiu functionum viget integritas, nullusque adest dolor. Ubi remedio opus est, ibi semper aliqua labes. Hæc vel in organis à naturali dispositione recedentibus, vel in humoribus vitiatis aut turgescitibus. Si bene judicantur ista vitia, aut solius naturæ viribus perfectè judicanda animadvertit Medicus, neque movet morbos, neque innovat, sive purgantibus medicamentis, sive aliis *irritamentis*; sed finit. Vitii vel levioris præsentia cautionis utilitatem, morbi cujuslibet absentia, ejusdem damnum innuit. Sic bonum habitum ad summum progressum citò solvit Medicus, ut corpus rursus nutriri incipiat. Sic sanguinis missionem, purgantia, vomitoria præscribit, ne ingruant subsultus Epileptici, sæviat podagra, repentina fiat apoplexia, ne prægnans mulier abortiat. Parvi momenti affectum non spernit, ut alterius gravioris fomites tollat. Morborum causis nondum effectu suo donatis, sed ad eum proximè tendentibus, debentur cautiones; factis morbis, remedia: utrisque necessaria est indicatio. In singulari victus ratione, sanguinis missione, catharsi, præcavendi morbi consistit artificium. Horumce remediorum indicant opus esse, vasorum plenitudo & turgescencia, motus musculorum

Hipp. aphor.
 Sect. I. 20.

A

impeditus, lassitudines spontaneæ, permanens in capite dolor & pulsatio, tenebrosa vertigo, artuum stupor, ex naribus sanguinis stillæ, hæmorrhoidum dolor & intumescencia, cibi fastidium, nausæ, vomitus, nidorulenta digestio. Morbis recidiuis, per paroxysmos urgentibus, epidemicis, solâ diætâ ritè ordinatâ prospicitur. Verè Medico istis principiis imbuto, nullâ variolosæ præcavendæ ratio est: corporis humani custodem sese recognoscit, non dominum. Naturæ continuò famulatur, ferè nusquam imperat. Morbis naturaliter obortis medelam afferre satagit: omnes curat, non sanat omnes. Novos ac inauditos nec optat, nec cudit, nec intempestivâ cautione accersit, suimet ipsius officii memor & sollicitus. Nihil aliis suadet quod sibi ipse factum nollit. Nihil experitur, quod rationi repugnet, nihil quod noceat, si non profit. Nefas esse existimat adhibere medicandi modum, quo & privata simul cujuscumque hominis vita, & salus publica certò periclitantur.

I I.

Pylarinus,
fig. II.

Vid. Pylarin.
pag. 24.

Operatione quâdam inventu non minùs quàm eventu, ut aiunt, mirandâ luis variolosæ promovetur ortus. Huic operationi *insitionis, inoculationis, transplantationis* nomen *metaphoricè* datum est. Nam ut agrestium plantarum arborumque fructus ex austeris dulces mitesque fiant, à colonis usurpatur insitio & transplantatio, ita non absimili labore *variolicolæ* morbi crudam acerbicatem suâ operatione obtundere meditantur, luxuriantis analogisimi nec unus nec ultimus error. In hoc posita est inoculationis operatio, ut pus variolosum in corpus sanum per vulnuscula ad hoc facta transfundatur. Ideò corpore priùs aptè præparato, cutim & musculos faciei, manuum, pedum, recenti verò industriâ ut minor sequatur inflammatio, carnosas potius brachiorum tibiæque partes acu pungunt triangulari, vel incidunt phlebotomo, aliquantulumque dissecant, donec paucillum sanguinis è vulnere defluat. Hunc fluentem variolosi puris guttulâ imprægnant, ut suis redux in vasis quicquid accepit inquinamenti, secum reporter, omnes inde corporis liquores brevi inquinaturus. Ne autem purulenta materies vulnere affusa extùs diffuset, ne cuti adhærentem vestes circumpositæ frictu suo priùs abstergant, quàm laniatorum vasorum subierit ostia; dimidiâ nucis juglandis thæca vulnus contegitur, fasciisque circumvolvitur. Sic cruor saniosi liquoris ad omnia viscera deferendi, commodum reputatur vehiculum. Hanc operationem fabulam dicas: Locus actûs, cubiculum est moderato tepescit igne. Actores tres præcipui sunt, *Puer*, vel *sana temperiei juvenis* spontaneis, distinctis, nullatenùs malignis laborans variolis, inoculationis materiam subministrat. *Operator* mendax & temerarius, secat. *Patiens* credulus, vanæque spe delusus, stultè confidens infidioso carnifici, vitam gratuitò credit perdendam quandoque, aut saltem non sine detrimento, & aliquâ sanitatis alteratione restituendam. Suam hîc non licet omnibus agere personam. Qui operatur, non ille est qui pus eduxit, ne contagium afferat. Quasi verò ab externo contagio quicquam illi metuendum esset, cujus cruor spurcissimo liquido potentius contagium afferente, mox inficiendus est. Inoculationem pati non omnibus datum. Qui spontaneis variolis tentati jam fuere, qui hypochondriacis, qui hystericis affliguntur affectibus, ab operatione arcentur. Nec ideò defunt inoculantibus operandi occasiones: turmatim veniunt complu-

res, quos operi ferendo haud impares judicant, etsi variolas naturales nusquam fortè passuri sint : sua sunt infortioribus dogmata, ipsis nec desunt observationes, quibus idiotas haud aegrè aucupantur. Dicunt, nec reclamant stolidum vulgus, variolas vectigal esse quod humanitati necessariò penditur ; inesse unicuique homini istius morbi fermentum contaminati sanguinis in utero foetum nutrientis quasi recrementum, quod certo quodam tempore, naturali variolarum eruptione natura foras expellit. Ex his necessariam inferunt inoculationem, quam ab omni periculo liberam tutamque pollicentur, si transfundenda materies à benignioribus pustulis semper hauriatur. Nullus, inquit, sit recidivæ metus ; innata variolosæ luis semina universali sanguinis ebullitione criticè expurgantur, & non nisi septimo die conspiciuntur efflorescentes in cute pustulæ distinctæ rarèque confluentes : felix inde sequitur insertarum variolarum exitus. Ut sibi obsequentiores alliciant victimas, integram spondent à spontaneis variolis immunitatem, præmium docilitatis : scæminas verò quo circumveniant nequid, vultus honores intemeratos, tutamque pulchritudinem pollicentur, ultimum certissimumque passæ inoculationis corollarium. Faver credulitati populorum insitionis facilitas : vix enim ullus doloris percipitur sensus, & sanguinolentæ tantum incisionis non admodum alta sunt labia. Peractâ operatione Inoculatores facti Medici, de diætâ potissimum curant : hanc tenuissimam præscribunt ; vinum, solida quæque alimenta, carnes, imo ex ipsis parata juncula prohibent : sola diluentia & refrigerantia propinant. Elapsis tandem ab operatione sex diebus, duodecim, viginti, raro centum, hinc inde sparsæ gemmascunt pustulæ, quas nullum, ut aiunt, grave symptoma comitatur. Nec semper pustularum eruptiones videre est : earum quandoque loco in purulenta tubercula incisionum margines attolluntur ; aliquando in glandulosis partibus sat magni nascuntur abcessus ad suppurationem perducendi. At ex istâ operatione hodie tam decantatâ hujus aut illius vita non solum, sed & publica salus in certum discrimen adducitur.

V. La Cotte

pag. 7.

V. Pylarin.

pag. 22.

III.

AB interceptâ qualibet secretionem, turgescuntibus proinde humoribus, à bilis regurgitantis effervescentiâ, vasculorum consequenti inflammatione, variolarum ortus. Si hisce causis accesserit insolita tempestas, peculiaris aëris indoles, sit epidemicarum origo. Abcessibus tum internis cum externis, parotidi, bubonibus, proprium nullum fingitur fermentum : quid prodest in inquirendâ variolarum causâ aliquod supponere ? Transeat tamen nimis curiosæ mentis imaginatio, homini coætaneum scilicet luis variolosæ seminarium. Hoc forsân de novo microscopis insitores detexere. Huic hypothesi tanquam ad saxum adhærescant, ipsis non invidendum ; modò à variolarum curatione temperent, insolentemque non proponant methodum. Nemo spontaneas patitur necessariò variolas. Temeraria est quælibet morbi morbo præcavendi sollicitudo. Sua medico in variolis innotescit oportunitas vel major vel minor pro earundem symptomatis, pro ægrotantium ætate, sexu, temperamento, morbi ingruentis tempore. Maximè dissimilis & varians morbus variolæ : harum species una est cui certò medebitur nutricula ; altera, quæ vel peritioris Medici eludet artem. De venturis variolis Medicus prudens non cogitat ; præsentibus duntaxat consulit.

Wagstaf. p. 6.

A ij

operi sese accingit laborioso, ubi adsunt febris πυρετός, capitis dolor, lumbago, anxietas, vomitus enormis & frequens, tendinum subsultus, somnus aut delirium, tussis & suspiriosa respiratio, motus epileptici, pustulæ omnis generis, maculæ purpureæ, dyarrhæa, dysenteria, pyralismus, per nares, per sputa, per uterum, per urinas frequens sanguinis fluxus. Citò coercitus sanguinis impetus, fluiditas humoribus conciliata, totam curandarum variolarum artem, complectitur. Itaque rarò præscribuntur cardiaca; non omnibus refrigerantia; frequentius sola sufficiunt diluentia. Huc collimant venæ sectio ex cubito, ex malleolis, prout res & tempus postulant, etiam pluries repetita; emetica ineunte morbo, aliisque ejusdem temporibus propinata, ubi potissimum refluent, moranturve pustulæ; iisdem exsiccatis velociter adhibita purgatio, ne secunda fiat febris: alvus intumescens, clismatis sollicitanda. Feliciter adhibentur acida ex vegetabilibus, ex mineralibus parata. Conferunt quandoque paregorica; nec minimo cum successu vesicantia diversis corporis partibus vel initio, vel decursu morbi applicantur. Nec nova est ac recens ista praxis. Nihil hujus ævi arrogandum Medicis. Hæc jam à parentibus tradita, hæc pluries & feliciter experta. Cur igitur hoc anno tot periëre? vix vigesimam fato functorum partem Medici cognoverunt. Medicinæ præstantia non semper ab eventu judicanda; certa est curandarum variolarum data methodus; ab ægri naturâ anceps & incertus fit ejusdem exitus. Peperit ista confessio inoculantium superbiam & temeritatem. Variolas insitione falsò prædicarunt fieri benigniores. Certa, comoda est inoculatio, inquit, deficit nunquam, nulli nocet, prodest omnibus. At istis nugivendulis nulla fides adhibenda. Plenum illud est opus aleæ, hoc vel ipsi inoculationis patroni candidè faterentur, si de propria ageretur cute. Nesciunt qui varioles inferunt quibus conveniat, aut non, inoculationis operatio. Nesciunt dosim materiæ ingerendæ; ejusdem naturam, cum intactis corporis sani liquoribus convenientiam & proportionem ignorant. Judicare non possunt, an sincerè variolosa sit educta materies, nihilque secum trahat strumosi, epileptici, scorbutici, venerei, podagrici, aut rachitici. Itaque hominis cui facta fuit inoculatio, æquivoca sit valetudo: ab eâ enim sobolescentis alicujus alterius morbi remanere potest suspicio. externorum quorundam medicamentorum difficilior est quam internorum admotio. Ex stomacho, ex abdominis statu, à respiratione, pulsu, num hæc convenient nec ne, citius dignoscitur. Educta materies variolosa inoculatione ingestum est venenum: illius influxu partes omnes stupor occupat, languet vis vasorum elastica & suffocatur. In insertis variolis nihil criticè molitur natura; patitur semper. Succorum extra vasa propulsorum magna corruptio: major in animalibus sarcophagis; in hominibus ex contagio suis humoribus proprio longè maxima & periculosissima. Sic pestis hominibus infensior & frequentior: sic iidem scabiei, lepræ, scorbuti, syphilidi, aliisque morbis ab humorum putredine nascentibus obnoxiores. Humor in homine corruptorum singularem probant acrimoniam ulcera artus sæpè rodentia, doloris acerbitas, sæpius succedanea inflammationi gangrena. Ex crebrâ canum dissectione fiunt anatomici dysentericæ obnoxii, splenitici. Plures Chirurgi ex cadaverum aperturâ mortui læsis potissimum scalpello vel lanceolâ digitorum extremis, humorum non amplius motorum putredinis argumenta, salisque volatilis ex deperdito motu nimium evoluti tris-

Vide Freind.
de secund. variol.
feb. p. 24.

La Chambre nouvelles
conjectures sur
la digestion p.
81.

5
 riores totidem foetus. Ideo veneficus est viperarum morsus, quod in ipsarum vesiculis maxillaribus coacervata saliva putrescat, & à naturali sanguinis crassi stagnatione plurimum immutetur. In variolosis pustulis comprehensa meteries, extra circulum effusus humor est, reses, sine motu, mortuus, putrescens. Hujus corruptelam indicant virosus fracidusque ab aegri corpore manans halitus, molestus & intolerabilis pruritus, corporis reticularis epidermidi subjacentis corrosio, ipsi relictum stigma, vermes quandoque sub pustularum squammis reperti putredinis speciem declarant insitarum variolarum symptomata. Depressæ pustulæ & flaccescentes *dilutiores aequamque magis saniam* profundunt; lymphæ impuro imprægnata succo, sui juris insidiosè facta, ad interiora vergit æconomiam animalem labefactura: carcinomatosa fiunt incisionum labia; ex iisdem fluit virulentus ichor feri cancri æmulus; tument apostematis glandulæ, palefcit facies, oris defædatur color, foetore intolerabili malè sanum corpus diffunditur superatæ mortis tristes reliquiæ. Variolosi puris delectu benigniores excitari posse variolas non liquet; in discretis enim & confluentibus similis adest putredo; gradu tantum differt, & solo pustularum numero; hinc major vel minor plerumque malignitas. Miscellæ cujuslibet extraneæ impatiens cruor est. Utile tutus salusque provisor stomachus. Immissis, vel refluentibus humoribus analogis, homogenæis, nullâ illuvie fædatis angitur natura: non impunè tulit insensibilis perspirationis, sudorumve retrocessus, transfusionem sanguinis, in puerperis lochia suppressa, in feminis retenta menstrua. Mortiferus est in spontaneis variolis materiæ purulentæ refluxus: nonne à fortiori timenda est ejusdem inoculationis ope in corpus sanum transportatio? sed ex eo quod variolosum detur fermentum, ergo expurgandum, iniquiunt variolarum insitores. Imperiti Medici audax judicium. Initio non purgandum, nisi materia turgeat: corpora si purgare volueris, faciliè fluentia reddere oportet: quo natura vergit eo ducere convenit. In febribus inflammatoriis quædam est certè materies eliminanda, sive eam fausto conamine foras ducat natura, sive artifex: quis illud opus statim molitur? quis indicantes naturæ motus non expectat? in corpore sano fermentum, si quod est, variolosum, iners est, & quasi concatenatum; huic ne lupo ovile recludendum. Frustra insertionem passuris spondetur nullus spontanearum variolarum recursus: ars ne naturâ potentior? fuerunt hoc anno qui trium mensium spatio bis confluentibus variolis laboravêre. Visæ sunt plurimæ duplices, idest, in quibus morbo decrescente, prioribusque pustulis ferè exsiccatis novæ in cute eruptiones refluoruerunt.

I V.

AN boni aliquid apud Turcas, cæterosque Orientales novâ inoculationis praxi effectum fuerit, maximè dubium est. Felices hujus, si qui sint exitus Medici referunt: hos habent *ex assertoribus fide dignis*; sed oculatos testes se non fuisse ingenuè fatentur. *Ex operatricis ore multa transsumpsi*, inquit; *retulit nobilis Anglus, narravit Mercator*. In re tam arduâ, rationi aliunde repugnante, cujusnam momenti sunt hæc testimonia? his tamen omnibus fidentum est, inquit quidam Scriptor, donec rem aliter se habere certò probaverit experientia. Siccine de corio luditur humano? Quæcumque de inoculatione observationes extant, omnes, vel metu, vel horrore animos percutiunt. Illæ ægros morti proximos, plures orco demissos, pestifera contagia exhibent. Muliercularum quondam opus inoculatio, sit hodiè non negligenda

V. Timonu.
 pag. 43.

Aphor. 22.
 sect. 1.
 Aph. 9. sect.
 11.

Pylarinusp. 13.
 Pylatinus p.
 17.
 La Colle p. 8.
 Harris De Variolarum inoculatione
 La Colle p. 21.

- Vid. Timon.
p. 27. Medicorum opera. Operationem patientibus *dietam* singularem præscribere necessum est. In eâ admodum cavere debent ægroti : per 25 dies carnibus & illarum juribus interduntur. In variolis spontaneis malignioribus vix talis institueretur victus. Sic veneni intempestivè ingesti vis utili cautione callidè retunditur : Sic multi sunt, quos non occidit viperæ aut tarentulæ morsus, esus solani furiosi, aut sublimati corrosivi haustus, quod nempe cognitâ primùm ab astantibus morbi causâ, opportunis, his in casibus medicamentis festinanter succursum fuerit. Neglectâ præviâ corporis *expiatione*, ex quatuor juvenibus Constantinopoli ab insitione ægotantibus, unus penè extinctus est : *febre continenti & malignante* correptus, vix decimo quarto die *morbum eluxit*. Sed, an medicanda erat sanitas, inoculationem passuro prima posita lex ? Quatuor ægrorum, quibus post insitionem *atrociora* supervenerunt *symptomata* pariter meminit Timonius. Plus igitur quàm *febriculam* insitione excitari, ex istis patet autoritatibus. *A doctis prudentibusque Medicis* tantummodo tractanda est inoculatio ; sed si simplex sit operatio, si facillimè curentur ægri, si nihil periculi verendum ; ut quid in operatoribus requiritur scientia ? An ut videant quibus sit profutura nec ne ? An ut internarum partium statum detegant ? An ut inquirant, num fidelitescens aliqualabes operationem prohibitura ? Inutilis est insitoribus omnis cognitio. Ex relatione, siscitatione, stigmatum in facie superstitum conspectu, inoculationis sustinendæ idoneos, aut impares recognoscent ; omnibus enim exceptis *morbundis*, putant conducere. De vitiis occultis quid curabunt ? Conspicua & gravissima ipsos ab operando minimè deterrent. Triennibus infantibus *strumis*, *lue hereditariâ*, *morbo comitali*, *marasmo diuturno*, *dysenteria colliquativa* laborantibus, Constantinopoli facta fuit inoculatio ; mortui sunt : nec mortem peperit, nec maturavit operatio, si insitoribus habenda fides. At Cremonæ tredecim exercitus Gallici militibus vegetâ florentibus valetudine inoculantur variolæ. Sex ægrè admodum convalescunt, nec sine inflammatoriis tumoribus diu fauces infestantibus ; tribus incassum sit operatio, alii quatuor pereunt. Nullus hic morbus primarius fingendus est mortis conscitæ causa, & insitionem solam accusat * illustris Medicus apud judices Bastonienses denuntians, se calamitosum illud operationis vidisse experimentum. Haud inutilis erit Chirurgorum manus, inquit novus insitionis patronus, saniem incisionum labiis adnascentem curatura. At alia longè major Chirurgis crescet operationum seges ; ab inoculatione fient in glandulis, vel etiam in musculis abcessus, topicis ad suppurationem ducendi, scalpelloque aperiendi ; succedens ossibus caries convenienti artificio erit sananda ; artus affluxu humorum colliquativo tabefacti, erunt aliquando amputandi. Ut operationem postulent *compelluntur matres* ; at nequicquam, ingrata quidem in liberis facies spontanearum variolarum stigmatidis deturpata ; sed tristior membri alicujus mutilatio. Quot inoculationem sequentur mala ! Sub insitoris larvâ pater fastidiosam molestamque necabit prolem : alterius mortem aliquis meditabitur, variolas inferendo, & venena inferet. Eamdem calcabit viam veneficus, ut, quæ nova sinxerit venena, experiatur.
- Vitiata puella foetus indecori molietur mortem, desperata, vel vitæ discrimine insitionis faciet periculum. Abortiet, ut non raro fit, & jam ex inoculatione *pluribus accidit*. An arguendus insitor ? non intendebat abortum ; nullum proinde facinus, nullum *malum morale*, inquit novus Theologaster. Idem p. 52. *Desiderabiturne* diu in Galliâ ista operatio ! erit detestatio quandoque vigeant
- Pylæus pag. 14.
Pag. 28.
V. La Coste pag. 7.
V. Idem pag. 41.
Harris de inoculatione variol.
Timon pag. 31.
Timon. pag. 31.
Wagstaf. p. 17.
* D. Dolhonde.
Vid. La Coste pag. 42.
V. Wagstaf. 3. litte Bastoniæ scripta.
Vid. La Coste pag. 52.
V. Wagstaf. 3. litte Bastoniæ scripta.
V. La Coste, pag. 32.
Idem p. 52.

religio & humanitas. Ab inoculatione factæ sunt frequentiores variolæ, contagiosæ magis; ita ut si alio tempore trium mensium spatio *quadringinti* variolis mortui sint, pari tempore per operationis frequentiam *septingentos* defunctos esse observatum sit. Causa cujuslibet morbi epidemica ad omnes extenditur; non agit tamen in omnes, & in illos quos afficit, non pari gradu sævit. Si epidemiæ minitantis tempore fiat variolarum insitio, necessario determinatur incerta lues. Ubi nulla in aëre maligna indoles, benignæ variolæ ab insitione fient contagiosæ. Hinc quâlibet tempestate ab operatione abstinendum est; ne vel præsens epidemia augeatur, vel absens accersatur. Pesti affine est variolosum contagium, velociter expanditur. Insitorum fatetur unus hominem propè Harfordiam à se inoculatum, sex contagio affecisse contubernales, quorum unus mortuus. Obstupefcit ille ex inopinatâ luis infectione, contagiumque inoculatione excitari posse confitetur. At si ab uno sex infecti sunt: quid non poterit major infectorum numerus? Si enim in hac nostrâ Urbe civium frequentia celebri, X hominibus unâ eâdemque die fiat inoculatio, & decimâ quâque die septem progressionibus infectio communicetur primò ab infectis, dein ab infectis successive, servatâ eâdem præcedentis observationis proportionem, octoginta dierum spatio 2999360 homines variolis infici possunt, quorum sexta pars est 466560 hominum qui juxtâ relatum exemplum morerentur. Nec vana est ista speculatio. Bastoniæ in Angliâ novâ hujus infectionis à variolarum frequenti inoculatione excitatæ lugubre exemplum visum est; ita ut ab hujus Urbis Prætoribus contagii formidine perculsis, ne ampliùs variolarum insitio tentaretur, publico decreto sapienter cautum fuerit. Illud idem Harfordiæ accidit, ubi tantam concitarunt variolæ excitatæ infectionem, ut civitas penè tota variolis laboraret; solitumque feriatet commercium. Spargitur contagium ab eo qui insertas recipit variolas, ab inferente, ab eo demum qui pus secum affert, & in vase vitreo sinu suo fovet, ut calidum permaneat. Latius expanditur ab iis, quibus post inoculationem saniosa fluunt tubercula, quique malè valescentes per vias ambulant, aliorumque domos frequentant. Si mortem sibi consciscere licet, si variolarum inferendarum datur licentia, in locis ad operationem extrâ Urbem constructis celebranda est. Huc appellant delusæ victimæ, quarum paucae reduces intra Urbis muros non admittendæ, sed alibi incarcerandæ sunt tanquam ex regionibus peste infectis redeuntes: nec tantùm per 40 dies exulent, sed quandiu fluxerint incisiones vix trium mensium spatio sanandæ, aut donec ipsis exsiccatis squamma superstes exciderit.

V.

QUOD igitur in hocce regno nondum fuerit tentata infelix illa operatio, illud nec Medicorum timiditati, nec ignorantia, nec invidia tribuendum. Solvendus potius eorumdem perspicacitati debitus honos, laudibus efferenda ipsorum inquisitio in variolarum excitandi rationem, observationesque diversas quibus humano generi perniciosam apprimè judicant. Debitum publicæ confidentiæ pignus Medicorum prudentia. Plurima è sinu suo natura depromit, quædam arte parantur, quorum virtus deleteria innotuit: sic arsenicum, sublimatum corrosivum, aliaque innumera venena cognoscuntur. An experimentis in homines factis? immanis fuisset ista indagatio. Ex singulari ipsorum cognitione physicâ, ex analysibus chymicis, ex usu ad morbos externos, & experimentis in brutis animantibus tentatis, de venenis Medici facti sunt certiores. Eorumdem in humano corpore effectus, non con-

V. Wagstaf. 2
litt. Bastoniæ.
scriptæ.

Wagstaf. p.
19.

Wagstaf.
Wagstaf. p.
23.
Wagstaf.

jecturis, sed ipsamet cadaverum inspectione assequuntur. Quidam revera veneno periēre: verum ministrorum imprudentiā, fortunā, offerentium scelere, sorbentium desperatione, nunquam Medici consilio. Quid possit variolarum insitio facile judicant Medici, illam experiri nolunt. Adhucne incunabulis hæret medicina? Hujusce operationis finem absurdum, temerarium, fallacem, periculi plenum certò affirmant, ex spectatā materiæ ingerendæ indole, ex imperio naturæ sanitatis, & morborum effectricis, ex analogismo à morbis ex humorum reflexu oriundis desumpto. Cur ergo nondum apud nos in usum vocata fuerit, nulla remanet inquirendi ratio. Jamdudum Circassis & Georgis, in Asiā, Græcis, apud Turcas frequens est hæc operatio, nuper apud Anglos à quibusdam recepta, usu-ne & experientiā peritioribus, an potiùs novitatis amore, lucri spe, ambitionis furo forsan audacioribus? Solà ratione patet inoculationis periculum; quid proderit experientia? ex aliorum stultitiā sumus sapientiores. Ad eandem abhorrendam collimant observationes. Ex ipsis non minùs frequentes variolæ, non rariùs reduces, non benigniores; e contra contagiosæ magis, novaque mortis genera deteguntur. A variolarum insitione abstinendum est, quia nefarium est opus divinis & humanis legibus contrarium, hominibus perditis severè plectendis relinquendum. Luxuriat, inquit non nulli istud iudicium. An sit legitima, necne, pronuntiare non Medicorum, sed Theologorum est. Jam ad ipsos (urgebunt) delata fuit quæstio. Istam operationem in capite damnatis fieri posse judicant *novem Doctores Theologi*. At in hujusce modi quæstionibus inquirere Medicorum est, probare Jurisperitorum, confirmare Theologorum, hujus operationis *morale delictum* non est adeo intricatum, ut huic discutiendo Theologorum requiratur labor. Sola præceptorum naturalium nostræque religionis fundamentorum sufficit cognitio. Instabunt: ista de insitione censura flocci facienda est. Novorum medicamentorum hostes acerrimi Medici Parisienses, remediorum optimorum non semper æqui æstimatores: nec oblita celebres de antimonio quærelæ; stibium vel ex thesi *venenum*; de eo nunc aliter omnes sentiunt: sic aliquando resipiscunt. Sperare licebit inoculationis fautoribus, suis votis frui dabitur nunquam. Vomitus excitandi necessitatem non ignorabant Medici; antimonium formidabant; quā arte in medicinæ commodum præparari poterat nesciebant, ejus vim compescendi, & mitigandi nondum erat inventa methodus; latebant adhibendi occasiones. Tempora non omnes simul & semel sætus suos enituntur. Insitioni ac stibio par nusquam erit fortuna. Emetici effectus amat natura, insitionis exitus eadem refugit. Variolarum inoculatio in scopo, in mediis, in applicatione perniciosissima est, nec ullis unquam artibus perficienda.

Ergo variolas inoculare nefas.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Nicolaus le Roy de</i>	<i>M. Andreas Josephus</i>	<i>M. Petrus Marais.</i>
<i>S. Aignan.</i>	<i>Seron.</i>	<i>M. Joannes-Baptista Doudart Regi à sanctioribus Consiliis Archiatrorum Comes.</i>
<i>M. David Vasse.</i>	<i>M. Antonius Geoffroy.</i>	
<i>M. Jacobus Jalianus Carrel.</i>	<i>M. Joannes Franciscus Contier.</i>	<i>M. Philippus Doute, antiquus Facultatis Decanus.</i>

Proponebat Parisiis LUDOVICUS DUVRA C Rothomagensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 17 23. à sexta ad meridiem

Vid. La Cotte
p. 26.

German.
Preaux in thes.
Cardin. 1668.